

pervenirent. Hunc non ego diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem? Atqui sic a summis hominibus eruditissimisque accepimus, ceterarum rerum studia et doctrina, et praeceptis, et arte constare, poëtam natura ipsa valere, et mentis viribus excitari, et quasi divino quodam spiritu inflari. Quare suo jure noster ille Ennius sanctos appellat poëtas, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur. Sit igitur, judices, sanctum apud vos humanissimos homines hoc poëtae nomen, quod nulla unquam barbaria violavit. Saxa et solitudines voci respondent, bestiae saepe immanes cantu flectuntur, atque consistunt: nos instituti rebus optimis non poëtarum voce moveamur? Homerum Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnaei vero suum esse confirmant, itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt; permulti alii praeterea pugnant inter se atque contendunt.

IX. Ergo illi alienum, quia poëta fuit, post mortem etiam expetunt, nos hunc vivum, qui et voluntate, et legibus noster est, repudiabimus? praesertim, cum omne olim studium, atque omne ingenium contulerit Archias ad populi Romani gloriam laudemque celebrandam. Nam et Cymbricas res adolescens attigit, et ipsi illi C. Mario, qui durior ad haec studia videbatur, jucundus fuit. Neque enim quisquam est tam aversus a Musis, qui non mandari versibus aeternum suorum laborum facile praeconium patiat. Themistoclem illum summum Athenis virum dixisse ajunt, cum ex eo quaereretur, quod acroama, aut cujus vocem libentissime audiret: ejus, a quo sua virtus optime praedicaretur. Itaque ille Marius item eximie L. Plotium dilexit, cujus ingenio putabat ea, quae gesserat, posse celebrari. Mithridaticum vero bellum magnum atque difficile et in multa varietate terrarumque versatum, totum ab hoc expressum est: qui libri non modo L. Lucillum fortissimum et clarissimum virum, verum